Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 485
Quelle:
Copyright:

ſtibus Sacerdotum. Libri Tres. Sequitur Elenchus Capitum, ſed Capitibus II. et III. Libri in unam ſeriem conjectis. Liber I. incipit: *Locuturi Domino iuvante de figura tabernaculi et uaſorum atque utenſilium eius.* II. *fol.* 23. p. 2. *Tabernaculum quod fecit Domino Moyſes in ſolitudine, ſicut et templum* &c. III. *fol.* 51. p. 2. *Precipe Filiis Iſrahel ut deferant tibi oleum* &c. Finis Operis: *Quia iſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Extat in edit. *Opp. Bedae Colon.* 1688. T. IV. *col.* 838. Non deeſſent tamen, quae Codex noſter novae Editioni rectiora ſubpeditaret. Ita L. I. c. 1. melius legit: *dona ſancti ſpiritus* pro *adventu ſancti ſpiritus*, et paullo poſt: *ut tali miraculo*, pro *ut tali eſſe miraculo.* C. 2. *ad audienda que audiuit*, pro *erudienda quae audivit.* &c.

CLXXVI. VIII 9. 5.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 37. f. *Verſus* et alios *Locos Memoriales* de diverſis materiis in varia Schemata ſeu Figuras digeſtos infelici Majorum noſtrorum artificio complectitur, quorum praecipuos adtingam. Initium faciunt *Metra pro Memoriali Biblie*, et quidem duplex Specimen. Primum infit: 266

Poſt pentateucum ſequitur, Joſue, Judicum, Ruth,
Hinc Regum, Paralipomenon, Job, poſtea Pſalmi &c.

Alterum:

Ut ſeriem mente textus teneas doceam te
Eſt Geneſis primus, ſubit Exodus ipſe ſecundus &c.

Fol. 2. p. 2. Conſpectus *Librorum utriusque Teſtamenti* ſecundum varias diviſiones. Subjecti quidam Verſus. V. g.

Mors. morbus. calor. et frigus. ſitis. eſuriesque
Cura. labor vite. domini ſunt octo ſagitte &c.

Item aliud Schema inſcriptum: *Sacre Scripture Latitudo Longitudo Altitudo Profunditas.* Aliud de XII. *Tribubus*, de Significationibus numericis *Literarum* Alphabeti, de *Eccleſia* conſiderata ut Vinea.

Fol. 5. p. 2. Schema inſcriptum: *Duodecim ſubſcripti prophete concordant cum XII. apoſtolis in ſymbolo Orthodoxe fidei.* Aliud inſtar geminae Arboris, quarum una *Vetus*, altera *Novus Adam* inſcribitur; in illa vitia aſcendunt ex radice *Superbiae*, in hac Virtutes ex radice *Humilitatis.*

Fol. 7. p. 2. Schemata varia ſcil. *Vitiorum* et *Virtutum. Effectuum*